



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 5. Vtrùm sit obligatio eligendi tutiorem opinionem, etsi minus
probabilem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

QVÆSTIO V.

Utrum sit obligatio eligendi tutiorem opinionem, etiam si minus probabilem?

Quod sit obligatio, totis viribus continentur nonnulli recentiores. Quorum mentem, ut accuratius proponam, aliqua præmittere oportet. Primum, quotiescumque Doctores dissident, an aliquid operari sit licitum necne? opinio, quæ negat esse licitum, tutior dicitur: quia illi adhaerentes, cum ab operatione abstineant, nulli discrimini operandi contra legem, adhuc materialiter, se committunt; ideoque omnes opiniones pro legis obligatione securiores dici solent. E contra verò, quæ pro libertate voluntatis, vel pro commodo, sive privato, sive communi, pugnant, affirmantes actum esse licitum, minus tutæ dicuntur, quia earum usus periculum materialis peccati annexum important: forsan enim actus ille coram Deo re ipsa prohibitus est, licet nobis ignotum. Præmitto, 2. ex dictis quæst. 1. opinionem ab intrinseco probabiliorem dici, quæ majoribus à ratione fundamentis nititur, quod cum in indivisibili non consistat, & dispar sit ingeniorum conditio, non est facile diffinire, quanam probabilior, quæ par, aut minoris probabilitatis sit? Thomista suas probabiliores judicant, & h's contrarias Scotista. Et inter opiniones quascumque, quæ apud auctores melioris notæ probabiles communiter habentur, nulla est, quam illius patroni probabiliorem non censeant. Quapropter illiterati omnes, qui opinionum momenta non à ratione, sed ab auctoritate extrinseca emendant, eam opinionem sibi probabiliorem habere solent, quam à confessorio, seu Theologo consultis acceperunt. Litteratis verò, & in Theologia morali non parum versatis aliter contingit, nam cum rationi, & fundamentis nitantur, ea probabilior apparebit, quam ipsi fundamentis perpenlis, rationi magis conformem judicaverint.

2. Præfati igitur recentiores toti sunt in suadendo: quotiescumque varietas sit opinionum inter Doctores, omnes teneri sub præcepto tutiorem opinionem eligere, etiam si aliam minus probabilem, & minus rationi conformem judicent. Et quod magis, hoc fuit Divi Thomæ placitum eruiere tentant, ex *Quodlibet* artic. 13. Ubi S. Doctor sic scribit: * Quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, alteram esse falsam: aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum (ut potè habendo plures præbendas) facit contra veram opinionem. Et sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Hæc D. Thomas. Quibus expressè dammare videtur non amplectentem opinionem tutiorem pro lege, nempe affirmantem illicitum esse plures habere præbendas, quamvis opinio contraria, & probabilis pro commodo, & libertate, licitum esse propugnet; imò & pluribus probabilior videatur. Quinimò (ut constat ex D. Thomæ verbis) idem sentire videtur, licet duas præbendas retinens certitudinem habeat, id esse licitum, si tamen ex contraria opinione pro lege, dubium aliquod ei suboriatur. * Aut non habet (inquit) opinionem, sed certitudinem (quod sibi licet habere plures præbendas.) Sed tamen in quidam dubitationem inducit ex contrarietate opinionum, & sic, si manente tali dubietate, plures præbendas habet, periculo se committit, & procul

dubio peccat, ut potè magis amans beneficii universalis, quam propriam salutem. *

3. Ex quibus Rev. P. Fr. Julius Mercorius Cœmonensis, Ordinis Prædicatorum, in *Rasse tractatibus Theologiae* p. 2. artic. 21. Sic optimè deducit, & Nihil in hoc textu non solum non licere, secundum D. Thomam, sequi minus probabilem affirmantem actum esse licitum, in concursu probabilitatis, sed etiam peccatum esse sequi magis probabilem assertentem actum esse licitum, in concursu minoris probabilitatis negantis, quando ex illa minori probabilitate potest oriri aliqua dubitatio, (attende) licet non potest non oriri, quia medium probabile semper aliquo modo urget. Deducitur evidenter, quia si, secundum D. Thomam peccat, qui sequitur sententiam, de qua habet certitudinem, quando ex opposita indubitate in dubietatem; tantò magis peccabit legendo probabilem, etiam si maiorem probabilitatem habent, dummodò ob oppositam aliquo modo probabilem, in aliquam dubietatem inducatur. * Sic Mercorius, quod ex verbis D. Thomæ, ut loquant, evidenter deducit.

4. Idè eandem sententiam, quoad rem principalem, controverfam, defendit novissimè Vincencius Baronius ex eodem Prædicatorum Ordine, ex familia Tolosana in lib. *supra citato, contra Amadeum Comenium*. In quo liberalissimo cornu injurias, probas, & calumnias diffundit. In hoc igitur libello pluribus in locis, obligationem eligendi tutiorem etiam minus probabilem aperitissimè docet. Quinimò arguit ullum fuisse Dominicanum, qui ab hac sententia dissenferit, & si quem offenderit, ut degereret à D. Thomæ doctrina Thomistam denegat. Videlicet fol. 15. Ubi sic ait: * A Sancto Doctore, in capitulis verba jurant Dominicani, hoc dogma incoercibile habent: Quod agitur contra legem, semper est illicitum, nec excusari per hoc, quod sit secundum conscientiam, quacumque probabilitate munitur, quæ in certitudinem moralem nunquam sit evaluta, quodam reclamabunt Doctores graves, & contra dubitant rationum momenta. * Et fol. 55. ait: Neminem magis sanctissimo Præceptore abhoruisse à licentia opinionum probabiliū contra legem, quandoque nullam illarum, re ipsa falsam, dissidentibus inter se Doctoribus; patitur in peccati excusationem trahi, quacumque probabilitate, & ignorantia. Vide etiam illum, fol. 98. Ubi itidem sic: * Contra est sancti Doctoris sententia, falsam, & adversam legi opinionem (nempe re ipsa, & coram Deo) nunquam excusare à peccato, si Doctores dissident. * Et iterum Amadeum carpens, fol. 141. * Nos, inquit, ex D. Thomæ certissima regula nullam opinionem quovis tum libet probabilem censemus tutam, si falsa sit (nempe re ipsa) nec desit unus, aut alter gravis Theologus, qui reclamet. Amadeo tutam facit probabilem opinionem falsam, legi adversam, unus Doctor aliis reclamantibus: apud D. Thomam, nequidem mille, si unus adsit, qui pro lege pugnet: ergo non bis cum Amadeo commune. * Et his non contentus, de obligatione eligendi tutiorem nos admonet, duobus verbis, fol. 355. * Necessarium est ad delectum opinionum moralium, ut tutioribus, etiam minus probabilibus adhaereamus, quod careant omni periculo peccati. * Et fol. 375. * Opinio pro libertate præcepti falsi commune, peccati etiam singulare periculum adiunctum habet, quo adversa pro lege omnino caret, & hoc nomine est anteponenda probabili, ut omnes ex consilio concedunt, nos etiam ex præcepto necessarium contendimus. * Omittit plura.

Itaque secundum præfatos Thomistas, juxta D. Thomam, & ejus legitimam scholam, dissidentibus Doctoribus, opinio tutori ex necessitate præcepti amplectenda est, & contraria, etsi probabilior, nequit obliqui lethali ad praxim reduci, eo quod forsan, re ipsa (sicut nobis ignorum) falsa, & legi Dei contraria sit; adeoque periculum peccati, quo opinio contraria caret, necessarii ad junctum habeat. Hæc est horum recentiorum sententia, quam non solum ad D. Thomam, sed ab omnibus antiquis accepta blaterant, & oppositam hoc tempore communem negant obligationem amplectendi opinionem tutori, tanquam novam, & morum corruptelis viam aperientem reprobant.

S. I.

Iudicium Auctoris.

¶ Anc ego opinionem libenter amplectetur, nisi si quæ illi recentiores in commune Republicæ Christianæ bonum, ego in totale animarum perniciem vergere judicarem. Ex illa enim horrenda corollaria evidenter, & inevitabiliter deducuntur, quibus totam Republicam Christianam turbati necesse est. Primum, in quacumque materia morali, varietas sit opinionum, nulla D. Thomæ opinio, etsi probabilior, asserens aliquæ actum esse licitum, poterit tuta conscientia ad praxim deduci, quia cum pro lege sit opinio contraria, hæc tutior est, atque adeo, etsi minus probabilis, ex necessitate præcepti anteposenda; unde cum ferè nulla sit, in moralibus, D. Thomæ opinio (extra materiam rationi naturali demonstratam, ait Sacra Scriptura, vel decreto Pontificio firmatam) in qua omnes Theologi conveniant, sed hinc inde in varias contradiçiones oppositas frequenter abeant, quarum alteram veram, alteram falsam esse, necesse est sit planum ex opinionibus D. Thomæ in re morali nullam libertatem habentem, ut potè minus tutam contraria pro lege, possit ad praxim deservire, sed omnes sub lethali fugiendas, quia eas amplectari ad junctum habet singulare peccati mortalis periculum.

7. Secundo sequitur, quascumque opiniones favorabiles asserentes aliquem actum esse licitum (etsi in hoc conveniant D. Thomæ & Scotus) inutiles proorsus esse ad praxim, & neminem posse illas tuto amplectari, si contraria unus, vel alterius gravis Doctoris pro lege militet. Quia nec mille quidem Doctores (ait Baronius supra) faciunt probabilem, & tutam opinionem favent libertati: si unus adit, qui pro lege pugnet. Atque adeo illa major probabilitas, quam D. Thomæ & Scotus simul, eorumque discipuli suis opinionibus conciliant, non practica dicenda erit, sed speculativa: quia opinio practice probabilis, id est, juxta quam operari possimus, ea tantum est, juxta D. Thomam (ut ab his recentioribus expositum) quæ tutor, licet minus probabilis, vel quæ ita communis apud Doctores est, ut pro contraria nullus gravis Theologus militet, alias cum ex ista in aliam dubitationem inducitur necessarium sit (ut ex D. Thomæ contendit Julius Mercorius supra) nemo, licet certitudinem de veritate benignæ opinionis habeat, poterit juxta illam operari, nam periculo peccandi se committeret.

8. Tertiò sequitur, D. Thomam ferè ab omnibus suis discipulis passim deferri. Quia ferè omnes docent, licet esse amplecti opinionem probabiliorē minus tutam, & plures minus etiam probabilem, quorum longum syllabum dabo infra. Quos proinde fatendum est, aut D. Thomæ mentem non assequutos, quæ his tantum recentioribus affulsit, aut contra præstitum ejus doctrinam sequenda juramentum defecisse.

9. Quarto sequeretur D. Thomam graviter deliquisse.

¶

se sequendo opiniones probabiliores minus tutas, & eas discipulis tradendo, relictis tutoribus pro lege ab aliis magistris traditis, quia occasione fidelibus tribuit, tanti Doctoris auctoritate innixis, eas amplectendi, relinquendo tutores Scoti, aut aliorum Doctorum, si minus probabiles, pro lege certantes. Hoc enim à peccato eximi non potest, si vera sit regula, quam præfati recentiores S. Doctores affingunt, & quam ut incòcensum apud Dominicanos dogma retineri, dicit Baronius supra: quia ubi unus inquit, gravis Doctor ad sit, qui pro lege pugnet, nec mille possunt facere probabile, & tutam opinionem negantem. Et ex opinione pro lege, etsi minus probabilis, non potest, ut ait Mercorius, non oriri aliqua dubitatio, quæ electionē opinionis minus tutæ illicitam reddat. Quapropter suos ipse cōmilitones, sic exhortatur. Caveant ergo Thomistæ, & observent, dubium ex diversitate opinionum secundum D. Thomam esse dubium practicum, quia qui operatur cum tali dubio peccat, dum cōmittit se periculo. Quod autem D. Thomam plures opiniones minus tutas (etsi probabiliores) docuerit, & amplexatus fuerit, constabit ex infra dicendis. Hoc argumentum urgent Fr. Luis de la Cruz in *exposit. Bullæ Cruciatae* num. 8. Et Illustriss. Episcopus Quiricensis. D. D. Alphonsus de la Peña, & Montenegro, in itinere aureo pro Indorum Parochis lib. 5. tra. 4. ses. 20. num. 4. fol. 558. dicens: opinionem obligantem ad electionem tutoris esse. Contra totam rationem, & equidam, potest condenari contra totam rationem a tantos homines doctos, & pios, que ordinariamente enñenan opiniones probabiles, aunque menos seguras, ya muchos Santos, y Doctores de la Iglesia, que muchas vezes enñenan opiniones probabiles, las quales no son las mas seguras. Este fundamento, a mi juicio es bastante para la prueba de nuestra conclusion. Sic ille.

10. Quinto sequitur, mortaliter peccasse omnes Summos Pontifices, qui in voto solemnī castitatis cum Monachis professis dispensarunt, ut matrimonium contraherent. Alexandr. III. Honor. II. Celestin. III. Clem. II. & alii. Sequela est manifesta, quia amplexati sunt opinionem minus tutam, relictam tutori pro lege naturali, & Divina, quam D. Thomæ & plures ex discipulis sequuntur, atque adeo cum dubio practico, quod à peccato inexcusabiles reddit. Nec opinione probabili se protegere possunt, nam quod agitur contra legem, excusari non potest opinione, quacumque probabilitate munita, ut totis viribus contendit Baronius supra. Sequitur similiter peccasse omnes Pontifices, qui in matrimonio rato, non consummato dispensarunt, Greg. VII. Martin. V. Eugen. IV. Paul. III. Greg. XIII. Pius IV. Pius V. & alii quos adducit Carra-muel in Apologemate, de probabilitate, epist. 4. res. sol. 11. cum amplexati fuerint opinionem minus tutam, (immo secundum Sotum in 4. dist. 47. quæst. 1. art. 4. vers. His tamen) nullam probabilitatis effigiem representantem, relictam tutori, & probabiliori Scoti, Bonaventuræ, & aliorum gravium Doctorum, pro lege naturali, & Divina pugnantium. Sequelas has concedere, temerarium censent Doctores. Legas quæso Basilium Legionensem de *matrim.* lib. 9. cap. 3. num. 1. Ubi sic: Illud tamen statuamus primum: quod ad praxim agitur, tuta conscientia Pontifices dispensare potuisse, &c. Ut enim tuta conscientia faciant, sufficit probabilis Doctorum opinio, quam hæcenus non damnavit Ecclesia, quæ asserit, dissolvi posse. Esset autem valde temerarium asserere illos Summos Pontifices in eo evidenter errasse, ut docet Gregor. de Valentia 4. tom. disp. 10. quæst. 1. punct. 7.*

11. Sexto sequeretur: graviter deliquisse Patres Concilii Lateran. & gravius Leonem X. qui * Sacro approbante Concilio declaravit, esse licitos montes pietatis, in quibus à singulis mutuatariis aliquid ultra sortit exigitur, pro eorumdem montium indemnitate, ob solas ministrorum impensas, absque lucro dictorum montium. * Sequela est manifesta; quia amplexatus est opinionem minus tutam, relicta tutiori pro lege naturali, quam tuebatur Cajetanus tom. 2. opus. trac. 6. absoluto anno 1496. (ut ipse ad finem operis notat) & quam mordicus post concilium defendit Sotus de iust. lib. 6. qu. 1. art. 2. & sequitur Baronius ipse, ut infra videbimus. Dixi, quod sequeretur peccasse Patres Concilii, quia præfatâ declaratione proximam fidelibus occasione peccandi obtulerunt, opinionem minus tutam eis proponendo: sicut de facto, juxta recentiores citatos, peccant omnes, qui auctoritate Concilii Lateran. innuunt motus pietatis cum conditione superposita erigunt, aut eis inferunt, vel ad eorum conservationem cooperantur. Hi enim omnes contra opinionem Cajetani, & Soti, & ipsius Vincentii Baronii, pro lege naturali militantem operantur, & per consequens, si ejus notitiam habuerint, nequeunt periculo peccandi non se committere, cum quia cum dubio practico, ut ait Mercorus; tum quia nulla opinio probabilium re ipsa falsa, dissidentibus inter se Doctoribus, quacunque probabilitate, & ignorantia, in peccati excusationem trahi potest, ut ex D. Thoma, dicit Baronius, ubi supra.

12. Septimò denique, sequeretur, omnes Summas, & libros de rebus moralibus tractantes debere jussu Pontificis ulticibus ignibus tradi, ut potè occasione proximâ peccandi offerentes. Quia vix ulla est in tota theologia Morali pro libertate opinio, quæ non habeat contradictoriâ probabilem, & tutiorem pro lege; cum autem omnes hanc teneamur, (ut supponunt ad verlati) ex præcepto sequi, & alterâ benignam, et si probabilior em fugere, nullusque excusationem à peccato, ex eo quod probabilem, immo, & probabilior em opinionem pro libertate sectatus fuerit, prætere dere queat, nulla ex benignis opinionibus poterit absque peccato ad proximum deduci. Unde libri omnes quibus continentur, nisi ad illaqueandas fidelium conscientias, in animarum perniciem, inutiles prorsus erunt. Quia occurrente dubio circa legem, omnes etiam illiterati naturæ lumine ducti securiorem partem agnoscunt: aliarum vero opinionum, faventium libertati, notitiam habere, & auctoritate gravium Doctorum munitas invenire, perniciosum valde est, & eo magis, quo Doctores majore auctoritate polleant, quia tanto majori fide ad proximum eas reducent. Ideoque facilius capiuntur, & sese in lathalia sibi occulta præcipites agent. Ut quid ergo hujusmodi opiniones, tam gravi animarum præjudicio præla fatigant? ut quid paginas replent? nisi ad laqueos fidelibus iniiciendos, & ad homines, veluti hamos, ad æternum ignem captendos? Quid ad hæc Vincentius Baronius, si unus, vel alter Doctor, (ut ipse sæpius inculcat) pro lege militans illicitum reddit ulum contrariæ opinionis probabilioris pro libertate? Exhibeat quæso, vel unam libertati faventem, quæ contraria non imperatur?

S. II.

Baronii evasiones insufficientes demonstrantur.

13. Nonnullas tentavit Baronius; ne uno hausto tot absurda devoraret. Ad exempla opinionum minus tutarum, quas Summos Pontifices am-

plexatos fuisse, numero decimo ostendimus, respondet 1. par. Theol. Moralis adversus laxiores probabiliores, contra Caranuel, disp. 2. sect. 5. fol. 4. 8. & 350. Adponit de dispensatione voti solemnitis castitatis, cum Monacho professio ad contrahendum matrimonium, nullam ex contrariis opinionibus, quarum altera dicitur, Pontificem posse dispensare, altera negat, non apparere eisdem; adducto exemplo, nullatenus probari, ex facto Pontificum licitum esse amplecti opinionem minus tutam, relicta tutiori, nec huic principio innixas fuisse voti solemnitis castitatis dispensationes, sed antiquæ, & certissima juris regulari nempe, cum dubia res est, & nulla pars tuta apparet, quia utriusque pericula impendent, eam partem eligendam, unde minus mali timeatur.

14. Sed contra manifestè: quia opinio tenens, Pontificem dispensare non posse, & quod inde elicitur, nempe, non esse licitum Monacho professio ex dispensatione Pontificis, ad matrimonium transire, non solum est probabilior in Schola Thomistica, sed in communibus est tutior, ut potè, quæ omne periculum matrimonii etiam peccati removel, quo non caret opinio contraria cõcedens Pontifici potestatem dispensandi, unde de Monacho facultatem contrahendi, ob probabilitatem valoris dispensationis. Hujus enim opinionis præcipue inevitabile periculum subest faciendæ ipsi contra votum, & contra sextum Decalogi præceptum, re ipsa votum solemnè indispensabile sit, quod solum Deo notum est: hoc igitur periculum subire, tam Pontificem dispensationem concedendo, sapienter cooperationis ad peccatum alienum, quam Monachum, illa utendo, ex terminis notum est: quia neuter ab præcepto ad id constringitur, nec id in dubio ab aliquo hucusque Theologo vocatum est: nec Pontificem dispensasse dicuntur prætextu obligationis, sed potestatis ex justa causa. Falso ergo, & absque fundamento scripsit Baronius, nullam partem contradiictionis tam apparere, quandoquidem opinio pro lege voti, & castitatis, nullo occurrente impossibile præcepto, certissime tuta est.

15. Ad secundum exemplum de dispensatione in matrimonio rato, ut ad secundum supradictis respondet Baronius fol. 338. certum est, Pontificem posse dissolvere matrimonium ratum, non contrahendum; & consequenter, sic dispensati, ex causa posita, posse licite aliud inire. Quia opinio moraliter certam, et si minus tutam, eligere licitum est. Legitimum quidem dictum, sed gratis. Non inficior valde probabilem esse opinionem asserentem, Pontificem posse dispensare, seu dissolvere matrimonium ratum: hoc verò moraliter certum esse, firmiter nego: cum contraria opinio pro lege, ut ait Sanchez de Matrimonio disp. 14. n. 1. * Probabilissima est, & illam tenent communiter Theol. * Pro qua ex Thomistis refertur Puldanus, Victoriam, Petrum de Soto, Martinum, Balthasam, de Ledesma, Tabienam, & alios: & quod Bartholomæus de Ledesma, Tabienam, & alios: & quod Bartholomæus jugulat adeo veram putavit M. Dominicum de Soto lib. 7. de iust. qu. 2. art. 5. vers. Et licet pergeat, & in 4. disp. 27. qu. 1. art. 4. vers. His tamen nil obstantibus, in qua la probabilitatis speciem habere dixerit opinionem alteram, quam certam Baronius jactavit. * Revertitur opinio hæc, quam vis aliquibus fuisse certam, appareat, mihi tamen, salva semper Ecclesiæ censure, nullam probabilitatis effigiem præsentat. * Cuiussonat M. Petrus de Ledesma de Matrimonio. qu. 6. artic. 2. dub. 1. dicens: esse improbabilem. Et Pontificem neutriquam posse matrimonium ratum dissolvere, expressè tenent cum Soto omnes Scotisti & immo meri alii Doctores, tam ex Theologis, quam ex juris

peritis, apud Sanchez supra. Quæ si animadvertisset Baroni, non effuisset, oppositum esse certum; cum probabile ad summum sit, etiam juxta sui instituti auctores. Quos cum aliis sequitur Leander à Sacram. 20. 2. 7. 9. disp. 5. g. 7. Debet ergo Neothericus iste, vel inuitus fateri, Summos Pontifices opinioni minus tutæ adhæsisse, & in praxi amplexatos fuisse, non ratione certitudinis, sed probabilitatis, & ex hoc capite excusandos à peccato, dum matrimonii rati dissolutione concesserunt, sicut & illos, qui ex probabili opinione probitate, ad secundas nuptias transierunt.

16. Est præterea validum argumentum ad hominē contra Baroniū: quia ut ipse tradit ubi supra fol. 383. cum Mercero: quādiu dissident opiniones Doctorum de re, licita sit, aut contra legem? numquam potest quis esse certo conscius, se nil mali agere, quia ex dissidio Doctorum suboritur aliqua suspicio, & formido erroris, ratione cujus periculo peccandi se committit, ac proinde dissidentibus Doctoribus? (inquit) ex calaminequit à peccato prætextu opinionis probabilis: ergoneq; potuerūt Pontifices, quos hæc Doctorū dissensio latere nō potuit, sicut neq; alii, qui ex opinione probabili valoris dispensationis ad secundum matrimonium transierunt: nullus enim potuit esse certo conscius, se nil mali agere: ergo vel tenetur Baroni, palinodiam decantans fateri, opinionē probabilem dissidentibus Doctoribus sufficere ad excusandum à peccato sequentes minus tutam; aut irreverenter pronunciare, Pontifices dissolventes matrimonium ratum, peccasse mortaliter, non minus, quam dispensatione tantum probabili utentes.

S. III.

Exemplis aliis Baroniū convincitur.

17. A dalia fundamenta, quibus ostenditur D. Thomæ auctoritatem elevari, ejusque opiniones probitate ad securitatem conscientiarum insufficientes esse, si Scorus, vel alius gravis Doctor reclamet, solutionem veritati, & facto repugnantē Baroni paravit. Jactat enim, D. Thom. nullam opinionem minus tutam relictā tutori probabili, sequutum fuisse. * Nulloque exemplo (inquit) 1. part. contra Caramelem disp. 2. sect. 6. §. ult. fol. 401. probari potest, hoc unquam à D. Thoma factum; nam ex omnibus Sancti Doctoris scriptis, auctor in Theologicis veratissimus (nempe P. Ferrerius) nulla referre potuit, præter duo, de dilata confessione, & de unitate derelictionis omnium peccatorum: at verò demonstravimus, minimè fuisse securas intra probabilitatis fines, sed inde extraxisse vi argumentorum, & in ordinem superiorem evexisse. * Quod est, dicere, D. Thomam nullam opinionem minus tutam, seu pro libertate, sequutum fuisse, nisi moraliter certam, cujus proinde contraria pro lege non sit probabilis, licet tutor.

18. Cæterum, plures opiniones minus tutas; quarum contrariæ tutiores pro lege probabiles sint, D. Thomam defensorum, tradit M. Joannes Martinez de Prado tom. 1. Quæst. Moral. cap. 1. de conscient. quæst. 4. §. 2. ex D. Antonino 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. * Et exempla (inquit Prado) innumera possent proponi, ut asserit D. Antoninus. * Quibus probetur, D. Thomam sequutum fuisse opiniones, quas probabiles iudicavit, relictis tutoribus, probabilibus. Quæstio facti est, ideoque Baroniū exemplorum colluvie obrutæ, & aperte falsitatis convincere, facile erit.

Part II.

19. Primum sit. Plures Theologi tuerentur, peccatum esse mortale alloqui, vel salutare excommunicato, in casibus non concessis; quos sequitur Sanctus Raymundus lib. 3. Sum. §. 40. & ibi M. Joannes de Frigurgio ejus commentator litt. C. Cæterum Sanctus Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. quæst. 3. contrariam opinionem minus tutam defendit. * Aliis probabilis (inquit) videtur, quod non semper peccat mortaliter, sed solum quando in crimine sibi participat, vel in contemptum Ecclesiæ.

20. Secundum. Quā plures gravissimi Theologi defendunt, eum, qui confitetur absque dolore sufficienti ad remissionem mortalium, quæ clavibus subicit, teneri iterare confessionem; nec satis facere, fictionem, seu defectum doloris confitendo: ut videre est apud Leandrum tom. 1. tract. 5. disp. 7. quæst. 23. & tamen sententiam contrariam minus tutam amplectitur D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 1. in corpore. Ubi sic: * Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur potius modum fictionem suam confiteri. *

21. Tertium. Opinio probabilis inter Doctores asserit, eum, qui peccat, aliàs non peccaturus, ex confidentia misericordie Dei de remissione obtinenda, teneri hanc circumstantiam confidentiæ in confessione explicare. Sic D. Bonavent. apud Navarr. cap. 6. m. 3. Cordub. in Sum. quæst. 22. & alii: & tamen contrariam opinionem minus tutam sequitur D. Thomas 2. 2. qu. 21. art. 2. ad 3. dicens: * Peccare sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi à peccato, & penitendi de peccato, hoc peccatum dimittit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmam ad peccandum. * Quod proinde in confessione explicari non debet.

22. Quartum. Plures Thomistæ, Sylvester, Sotus, & alii, quos sequitur Ludovicus Lopez quæst. 1. art. 2. dub. 2. pag. 1064. probabiliter asserunt. Circumstantiam ingratitudinis peccantis post remissionem peccatorum, esse speciale peccatum in confessione explicandum: & tamen contrariam sententiam sequitur D. Thomas 2. 2. quæst. 107. & in secundo scripto super librum sententiarum dist. 22. art. 2. * Ingratitudo (inquit) non trahit in aliud genus specialis peccati, ideo nec confitenda. *

23. Quintum. Probabilissima est opinio adstruens obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, quam ex Thomistis sequuntur plures, ut videlicet apud Dianam tom. 1. tract. 7. de circumstantiis aggravantibus, res. 1. & par. 3. trac. 4. res. 67. quos referemus infra trac. 5. de Penit. disp. 3. quæst. 1. Nihilominus contrariam sententiam minus tutam tradit expressè D. Tho. in 4. sentent. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. ibi. * Quidam dicunt, omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri: alii verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est. * Sic ibi. Et iterum dist. 22. quæst. 1. art. 4. & opus. 12. quæst. 6. & alibi.

24. Sextum. Satis probabilis, & communis est opinio asserens, penitentem, neq; ex licentia confessorii posse in junctā sibi penitentiam per aliū implere: quam tenent M. Nugnus 3. part. qu. 14 art. 2. Vazq. de Penit. quæst. 94. art. 2. dub. 4. M. Martinus de Ledema 2. part. 4. quæst. 14. art. 4. Et tamen contrariam minus tutam defendit D. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1.

art. 2. ad 3. *quest.* dicens: * Non est permittendū, quod aliquis pro alio pœnitentiam faciat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quē sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum.*

25. Septimum. Sententia inter Doctores valdē probabilis est, non licere confessario, etiā de licentia expressa pœnitentis, revelare peccata sibi confessa: quā tenent Scotus *dist.* 21. *quest.* 2. & plures apud Navarr. *cap. Sacerdos* n. 154. quos sequitur Ludovicus *quest.* 7. art. 2. *dub.* 2. *concl.* 1. pag. 484. Et tamen contrariam sententiam minus tutam sequitur D. Thomas in 4. *dist.* 21. *quest.* 3. art. 2. in corpore dicens: * Potest pœnitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit, dum eum licentiat ad dicendum & ideo, si dicat, non frangit sigillum confessionis: tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti reputetur.

26. Octavum. Valdē probabilis, & ferē communis est sententia asserens, non licere confessario uti scientia confessionis ad faciendum, vel omittendum aliquid, quod non esset facturus, vel omittendus, ut videlicet apud Sanchez *lib.* 3. de *Matrim.* *disp.* 16. & apud Dianam 3. *part.* *tra.* 4. *resol.* 76. Nihilominus sententiam oppositam minus tutam sequitur D. Thomas in 4. *dist.* 21. *quest.* 3. art. 1. *quest.* 1. ad 4. dicens: * Ex multis aliis causis aliquis redditur indignus ad præstationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi, & ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine facit, nec confessionem revelat.* Et iterum *quodlib.* 5. *quest.* 6. art. 13. * Alia occasione accepta posset subditum sub confessionem ab administratione remove.

27. Nonum. Plures & graves Theologi probabiliter docent, laicum Baptizantem in casu necessitatis in peccato mortali, & excommunicatione peccare mortaliter; & similiter Sacerdotem, etiam sine solemnitate: quos sequitur Vazquez 3. *part.* *disp.* 136. *cap.* 3. Et tamen contrariam sententiam minus tutam amplectitur D. Thomas in 4. *dist.* 24. *quest.* 1. art. 3. *quest.* 5. ad 4. ibi: * Quando cumque exhibet se, in aliquo actu, ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat (nempe si in peccato mortali existat); secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingeret, vel exequeretur in illo casu, in quo etiam laicis liceret; sicut si baptizaret in articulo necessitatis. * Et iterum 3. *part.* *quest.* 64. art. 6. ad 3.

28. Decimum. Gravissimi Theologi tuerentur, ad ultimum, qui baptizatur, teneri habere contritionem peccatorum mortalium antea commissorum. Ita Navarrus *cap.* 1. n. 37. & *cap.* 11. n. 7. Victorla *quest.* 23. M. Baltanas in *Margarita confessorum*, fol. 33. & M. Sotus de *Instructioe Sacerdotum* lectione 4. de Baptismo, & plures apud Dianam 3. *part.* *tra.* 4. *resol.* 13. Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thomas in 4. *dist.* 6. *quest.* 1. *quest.* 1. ad 5. dicens: * Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præxigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.*

29. Undecimum. Subtilis Doctor Scotus *dist.* 7. *quest.* 2. Petrus de Soto *lect.* 2. de *Sacram.* Confirmationis, & plures alii probabiliter asserunt, baptizatos, ex præcepto divino, teneri hoc Sacramentum recipere. Nihilominus contrariam sententiam tuerit D. Thomas 3. *part.* *qu.* 72. art. 8. ad 4. Nam, secluso contemptu, non recipientem à peccato mortali excusat, ibi: * Hugo de Sancto Victore dicit, omnino periculosum esse, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret: non quia damnetur, nisi fortē propter contemptū,

sed quia detrimentum perfectionis pateretur.

30. Duodecimum. Dissimiliorum opinio est, peccatum mortale esse, accipere Eucharistiam post solutionem voluntariam intra eamdem diem, etiam procedente confessione. Sic Navarr. de *Pœnit.* *dist.* 6. *cap.* 1. & in *Manuali* c. 21. n. 51. Covarr. in *Clement.* si *sanctus* *part.* 3. n. 8. & alii. Contrariam tamen sententiam minus tutam sequitur D. Thomas 3. *part.* *quest.* 80. art. 7. in corpore. * Ex necessitate (inquit) impeditur hominem ab huius Sacramenti perceptione, solum peccatum mortale. * Quo per confessionem ablato; ex quadam tamen congruentia, non ex necessitate, impeditur aliter. Sic ibi ad secundum, & ad quartum.

31. Decimum tertium exemplum sit. Sacerdotem divites non possit licet stipendium pro Missa percipere, tradunt probabiliter Sylvester *verb. Summa* *cap.* 3. & Grassius *lib.* 11. *Decipson.* *art.* 96. & alii apud Suarez *disp.* 86. *sect.* 3. Nihilominus contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thomas *quodlib.* 6. art. 10. ibi: * Reddere debitum, est actus iustitiæ, & ideo ad hoc, quod alicui reddatur, quod ei debetur, non refert, utrum sit dives, vel pauper. Naturalis ratio dicit, ut illi, qui pro populo in spiritualibus laborant, à populo stipendia suæ sustentationis accipiant.

32. Decimum quartum. Promissionem meretriciam factam homini matrimonio futuri, obligat ad contrahendum, tradunt Martinus de Ledesma 2. *part.* 4. *quest.* 18. art. 1. *dub.* 13. Molina *tom.* 2. de *Disp.* 266. & alii, quos refert Thomas Sanchez *lib.* 1. de *Matrim.* *disp.* 3. n. 4. dicens, esse satis probabile. Nihilominus contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thomas 2. 2. *quest.* 88. art. 1. in corpore, ibi: * Obligitur homini ad aliquid per modum promissionis, &c. Sed promissio, quæ ab homine fit, homini non potest fieri, nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa Deo autem potest fieri promissio per solum intentionem cogitationem.*

33. Decimum quintum. Probabilis sententia est, eum, qui post matrimonium bona fide contrahit, incipit dubitare de obitu prioris conjugis, ex causa probabilis, non posse reddere. Quia majus est periculum in reddendo (est enim incontinentiæ contrahendi, & contra prioris matrimonii iustitiam, quam in non reddendo, in quo solum est iniustitiæ periculum) sic M. Petrus de Soto *lect.* 2. de *Matrim.* Altius dicitur Adrian. Medina, & alii, apud Sanchez de *Matrim.* *lib.* 2. *disp.* 41. n. 43. Et tamen contrariam minus tutam amplectitur D. Thomas in 4. *dist.* 38. in fine, in *explic.* *dist.* 2, ubi sic: * Si autem postea oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa. Si causa illa facit (tantum) probabilē dubitationem, debet reddere. * Quem sequuntur Thomista, & alii communiter, quos citatos laudat Sanchez *supra* n. 45.

34. Decimum sextum. Virginem deslorantem, si matrimonii promissione, teneri saltem deslorare constitueri, & de nuptiis providere, etiam si notabiliter dignior sit, & in dicitur ficti consensus præbuerit, docent gravissimi Doctores apud Sanchez de *Matrim.* 1. *disp.* 10. n. 18. Et tamen contrariam sententiam tenuit D. Thomas in 4. *dist.* 28. *qu.* 1. art. 2. ad 4. ubi sic: * Sufficit, si ei de nuptiis providerit: & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit, quia præsumi probabiliter potest, quod sponsus non fuerit decepta, sed decipi se fecerit.*

35. Decimum septimum. Peccatum esse mortale, consummare matrimonium, antequam recipientes benedictiones Ecclesiæ, affirmat D. Antonius 3. *part.* *tra.* 1.

1. cap. 16. in fine. Paludan, Tabiena, & alii, apud Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 12. n. 2. Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thom. in 4. sentent. disp. 28. quæst. 1. art. 2. ad 3. ibi: * Si sponsa sponsum admittit, excusatur à peccato. *

36. Decimum octavum. Probabilis opinio est, Prælatum non posse secum dispensare in lege jejunii imposita à superiore, licet cum subditis possit. Quam tenent Paludan. Manuel Rodriguez, Azor, Miranda, & alii, quos refert Leander à Sacram. tom. 3. in quinque præcep. Ecclesie, tract. 5. disp. 10. quæst. 25. Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thom. 2. 2. quæst. 183. art. 8. in corpore, dicens: Religiosum factum in Episcopum secum posse dispensare in jejuniis ex præcepto regulæ observandis, modo, quo * etiam Prælati Religiosi in talibus secum dispensant. *

37. Decimum nonum. In gravi necessitate proximi esse obligationem elargiendi elemosynam de necessariis ad statum, docent valde probabiliter Soranus, Cano, Victoria, & alii, quos citatos sequitur Bannez 2. 2. quæst. 32. art. 2. dub. 4. Nihilominus contrariam sententiam minus tutam sequitur D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. ad 3. Ibi, ultra evidentem, & urgentem necessitatem proximi, requiritur ad obligationem gravem elargiendi elemosynam, quod quis * habeat superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. * Et iterum art. 6. loquens de bonis necessariis ad statum propriæ personæ: De hujusmodi ergo elemosynam dare, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed consilio. *

38. Vigésimum denique; exemplum sit. Gravissimi Theologi docent, quemlibet teneri extremè indigenti dare elemosynam ex bonis simpliciter necessariis ad conservationem sui status, sine quibus omnino amitteretur quod esse certum, dicit Tullench lib. 1. in De calig. 4. 5. dub. 8. n. 5. & ut probabilius sequuntur Azor, Villalobos, Thomas Sanchez, Suarez, Vazquez, & plures apud Leandrum tom. 6. tra. 5. disp. 2. quæst. 17. Et tamen contrariam sententiam minus tutam tenet D. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 6. ibi: * De hujusmodi enim elemosynam dare, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Inordinatum autem esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. * Quæ D. Tho. verba excludere obligationem, subveniendi extremè indigenti ex bonis necessariis ad decentiam status, modo superius dicto, tradit M. Prado tom. 1. Theolog. Moral. cap. 13. quæst. 3. n. 30. & plures Theologi, quos referam infra tract. 7. quæst. 8. 5. Quorum expositio firmatur verbis subsequen- tibus ejusdem Angelici præceptoris: * Quando occurrit (inquit) extrema necessitas alicujus privatz personæ, &c. Laudabiliter præmitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret. * Quibus præceptum excludere, discipuli exponunt, & consequenter D. Thom. minus tutam opinionem amplexatū fuisse. Quid plura: Aliis parco, ne lectoribus fastidium pariam: nam ut D. Antoninus, & M. Prado adnotarunt ubi supra, innumera exempla possent proponi, quibus demonstraretur, D. Thomam non tutiores opiniones, sed sibi probabiliores, etsi minus tutas, ubique amplexatum fuisse. Quid ad hæc Baronius?

39. Respondet forsan pro omnibus, quod pro duobus ubi supra; nullam, scilicet, opinionem tutiorem à D. Thomæ desertam, probabilem esse: quia minus tutas, quibus adhæsit, vi argumentorum in superio-

Pars II.

rem certitudinis ordinem exivit. Cui solutioni insistēs 2. p. Manud. contra Amadæum Guimenium disp. 1. sect. 1 fol. 39. cum in quidam subtilis Scoti opinionem tutiorem pro lege, contra minus tutam D. Thomæ pro libertate incidisset; respondet, ex opinione Scoti pro lege non oriri grave dubium, sed scrupulum deponendum, & contra illum operandum. * Scrupulus (inquit) esset, si ex opinione Scoti dubitaret. * Quæ una solutione nos edocet, solas D. Thomæ sententias minus tutas licere nobis amplecti, deponendo scrupulos; quia hi tantum, & non vera dubitatio, quæ ab operando retrahat, ex Scoti, aut aliorum graviū Doctorum opinione tutiori pro lege, suboriri possunt. Lepidè quidem dictum! Sed quid, si Scotistæ de suis opinionibus idem dixerint? Licetum scilicet esse, Scoti opiniones contra D. Thomam, etsi minus tutas amplecti, & dubium ex opinione D. Thomæ pro lege subortum, non grave, sed scrupulum tantum reputandum? Quid, si de aliis etiam opinionibus benigni alii scriptores graves, & docti idem pronuncient? Si concedas; oleum, & operam perdidisti: si neges; ostendas quæso, cur solius D. Thomæ opiniones minus tutas hoc privilegio gaudeant? Omitto inconsequentiam Baronii redarguere, cum apertè asserat ubi supra: * Nec mille Authores sufficere, ad tutam efficiendā opinionem faventem libertati, si unus adsit, qui pro lege pugnet. * Ergo nec D. Thomas, nec Scotus, nec uterq; simul sufficet, si Doctor alter sit, qui reclamet. Est evidens consequens; quia ut ait Julius Mercorus supra art. 7. fol. 87. * Motivum probabile contra aliquam sententiam semper causat dubium grave, & formale (scilicet practicum.) Ergo quousque intellectus stat in tali dispositione, semper est dubius. * Semper igitur erit peccatum lethale dissidentibus Doctoribus, opinionem D. Thomæ, aut Scoti libertati faventem, etsi probabiliores amplexari, nullus Thomista, nullus Scotista concedet.

§. IV.

Corollaria.

40. EX dictis evidenter deducitur, aut omnia absurda superius adducta, uno haultu ab his Neotericis devoranda, aut D. Thom. immunè prorsus, esse ab impostura obligationis eligendi tutiorem opinionem. Insuper absq; ullo prorsus fundamento Baronium jactasse, apud D. Thomam, & Dominicanos dogma inconcussum esse ex præcepto eligendam tutiorem opinionem. Nam quod D. Thomæ id falso adscribatur, ostensum est supra: quod autem aliis Thomistis; res adeo per se nota est, ut probatione non egeat. Testes ad voco omnes viros doctos, & processū præsentio ex omnibus in remorali voluminibus constat, in quibus ferè nulla inventur opinio probatior libertate, quæ unum, vel plures ex Dominicanis patronos non veneretur. Et in terminis, non esse obligationem eligendi tutiorem opinionem, tradunt Mag. Victoria, & ejus verba dedi supra quæst. 4. n. 18. D. Antonin. Sylvest. Albert. Magnus, Joannes Nider. Wilhelmus Thomas Villar. Bannez. Candidus, Medina, Gregor. Martinez. Petrus de Ledesma, Ludovic. Lopez Marcus Serra. Joannes Martinez de Prado. Barnabas Gallego. Acacius de Velasco. Sotus. Tapia. Texeda, & alii, quorum verba dabo infra.

41. Et quod mirabilis Baronius ipse pluribus in locis refert, à Theologis antiquis, & recentioribus Thomistis, id ipsum fuisse traditum. Vide illum 2. p.

P 3

Manud.

*Manud. contra Amadæum Guimenium disp. 4. sect. 1. § 1. fol. 345. ubi sic scribit. * Certum est D. Antoninum illos laudasse (nempe Sanctum Leonem, Albertum Magnum, & Thom.) & fuisse interpretatum, juxta propriam sententiam, quæ omnino damnat electum opinionis minus tutæ, nisi adversam probabilitate vincat, & eam fuisse mentem omnium antiquorum Theologorum, & recentiorum Thomistarum, Alvarez, Lopez, Greg. Joannis Martinez, & Baptista fuisse probavimus. * En amice lector, ipso Baronio testante, non est apud Dominicanos inconcussum dogma ex præcepto eligendam tutiorem opinionem: potest enim minus tuta eligi, si probabilitate vincat. Quod & ipse Baronius, licet sibi contrarius palinodiam decantans in toto suo opere, intendisse, fatetur fol. 330. dicens: * Standum contendimus pro lege, quamdiu majori, aut pari probabilitate pollet contra commodum, & libertatem. * Non ergo quamdiu minori. Igitur saltem quoties opiniones minus tutas pro libertate, probabiliores quisque censet, licet poterit eas amplecti, relictiis tutioribus pro lege.*

42. Inficari nequit Baronius, quia & minus tutas implet amplectitur, quando probabiliores putat. *Hinc part. Theolog. Moralis contra Caramuelem disp. 2. sect. 4. negat divitibus obligationem redimendi captivos, apud Turcas redemptione maxime egentes, cum tamen tutior sit contraria opinio pro lege charitatis, quam tenent Cajetanus, Major, Azor, Filliucius, Villalobos, & alii, quos sequitur Alexander à Sacram. tom. 6. tract. 5. disp. 2. quest. 20. Insuper 2. part. Manud. contra Amadæum disp. 1. sect. 1. fol. 95. relicta tutiori quadam opinione Sancti Raymundi, sui instituti gravissimi Doctoris, contrariam minus tutam cum D. Antonino amplectitur, dicens: * Congressum verò sola voluptatis causa inter conjugatos, licet Sanctus Raymundus damnet peccati mortalis, verior tamen, & tuta D. Antonini sententia est, si nil prætermittatur, quod ad generationem conferat, veniale esse tantum peccatum. **

43. O Baron! Quo jure tuas opiniones contra legem pro libertate tutas vocitare audes, cū re ipsa falsa esse possint, & à sancto Doctore, in cujus verba jurant Dominicani, hoc dogma (ut asseris) inconcussum habeat; quod agit contra legem semper esse malum, * nec excusari per hoc, quod sit secundum conscientiam, quacumque probabilitate munita? * Nolo tamē tuis opinionibus, etsi minus tutis, securitatem negare. Fateor, tutas esse, & à peccato excusare. Sed quæso, deleas, quæ tibi non cōstans postea scribis fol. 141. * Nos (inquit) ex D. Tho. certissima regula nullā opinionem quantumlibet probabilem censemus tutam, si falsa sit (nempe re ipsa, & contra legem) nec desit unus, aut alter gravis Theologus, qui reclamet. * Deleas etiam rogo, quod scribis fol. 375. opinionem tutiorem anteponendā probabiliori minus tutæ. * Quod nos (inquit) ex præcepto necessarium contendimus. * Hæc enim non coheret cum doctrina, quam verbis, & exemplis nuper nos edocuisti, dum licitā, & tutam merito concessisti electionem opinionis minus tutæ probabilioris contraria pro lege.

44. Maneat ergo Baroni in posterum stabilitum ex tua, & tui instituti Doctorum sententia, licitum esse uti opinione minus tuta ad gradum certitudinis non evecta, sed intra fines, probabilitatis contenta, dum probabilior sit contraria tutiori pro lege. Quo evelluntur omnia fundamenta, quæ contra electionē opinionis minus tutæ, partis, vel minoris probabilitatis contraria pro lege cōstituti; cum falsa quandoque probabiliora sint veris. Et apertissime falsitatis convin-

cuntur omnia ex tuis scriptis fideliter excerpta, supra n. 4. quibus obligationē adducere tentasti, & gendi opinionē tutiorem, etiam minus, probabilem. Nullamq. re ipsa falsam dissidentibus inter se Dominicanis peccati excusationem trahi posse, quacumque probabilitate, & ne quidem mille Auctores tutam, aut probabilē opinionem re ipsa legi adversam, si unus alij, pro lege pugnet, necessariumque esse ad delictum opinionem moralium, ut tutioribus, etiam minus probabilibus advenimus, quod careant omnino periculo peccati. Quæ omnia modo jure quidem retractas, dum verbis supra dictis, & exemplo adhibito, liberam facultatem facies eligendi opiniones minus tutas, si probabiliores sint contrariis pro lege.

45. Ex dictis evidenter constat, mala omnino vitia Baronium, ut inconcussum ex D. Thom. apud nos instituti Auctores, dogma jactasse, ex præcepto eligendam tutiorem opinionem pro lege. Necesse, ut Religiosus hæc protulisset, si utrumque constitutum memor esset. Illis enim hujus sanctissimi Instituti professoribus injungitur, ut in consiliis præstandis ad opinionibus austeris caveant, quales, ut ex terminis patet, illæ tantum esse possunt, quæ pro lege probabiliter militant, pugnantibus aliis probabilibus, aut quæ probabiliter pro libertate. Quorum constitutum observantia Dominicani Scriptores in prologo operum operum religiosorum promittunt. M. Barnabæ Gilego. * In eligendis (inquit) opinionibus, ita apud me illud, quod in Glossa prologi nostrorum constitutionum adnotatum est. Ibi legitur text. 3. ad illud verba: Cum Ordo noster specialiter ob predicationē, & curam salutis, &c. Sic habetur: Declaramus, quod in his consiliis, quæ salutē impediunt animarū, & a numeris doctoribus primis sic habetur: Tertium est nimia austeritas consiliorum, & opinionibus terrentur enim homines ex his consiliis, ut salutē propria negligant. Quapropter relaxanda est ipsa fieri potest rigiditas, & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt. Hactenus uoluntis collationibus. Cū igitur hoc à tot, religiosissimisq. viris nostri Ordinis declarati, & decretū fuerit: ego illud adhibere nō rigidus, & austerus in eligendis opinionibus, sed benignior, & probabilior, probabiles inter Thomistas, & alios Doctores amplectar. Judicanda ergo est benignior opinio illa, quæ conscientia solvit, quæ ea, quæ eam ligat. * Huicq. Gallego. Et ante illū M. Bartholomæum si in Armilla, ejusdē constitutionis tenetur opinio, n. 5. fol. mihi 911. * Opinio, (inquit) quæ solvitur, tutius sequenda est, quàm ea, quæ ligat. *

46. Quos sequuntur M. Serra 2.2. tom. 2. in quibusdam locis, ibi. * Benigniores opiniones, aut amplecti, aut earū probabilitatē non reicio, ne pluribus claudat cælum, sed omnibus viā Domini faciliorem detestor. * Et M. Joan. Martinez de Prado in Universitate Complutensi, Primarius olim Sacre Theologie moderato, tom. 1. qu. Moral. Proamio: * Cum pro tractatu parte (inquit) aliquid convincens, quæ parte licet veritas, assertur, curabo benigniores amplecti, vel eorum probabilitatem indicare: cum ordonollet Predicatorum ob animarum salutem ab initio noster institutus, & animarum salus impediatur, (ut notatur in Glossa constitutionum) nimia austeritate in consiliis, & opinionibus. * Si has quæso paulisper amplector, ut expendas quid cum his constitutionibus commune habeat Baronius; Potest ne major esse austeritas in consiliis, & opinionibus, quàm in scriptura semper consulere, & ex præcepto sequendam tractare, nullamque relinquere opinionem prædictæ probabilē faventem libertati, si unus sit Doctor, qui reclamet? Quid ad hæc?

QUES.